

BALTHASAR CLAMMER CANCELLARIUS LVNE-
burgensis.



Balthasar Clammer à teneris annis operam li-
teris dedit, atq; hinc inde uarias academias ui-
sitans, magnam eruditionem sibi cōparauit. In pri-
mis autem Iuri ciuili operam dedit, atq; Licentiati
gradum publicē ob uirtutes meruit. Accedebat e-
tiam singularis facundia, & in rebus agendis de-
xteritas. Itaque Ernestus optimus dux Lunebur-
gensis eum suum Cancellarium elegit, atque in re-
bus maximis ipsum in consilium adhibuit. Hinc
factum ut huius Balthasari & D. Forsteri uirtute
suam ditionem pacifice administrarit, atque so-
lius Dei gloriam & subditorum salutem unicē
quæsierit. Erat etiam ob uitæ integritatem is non
tantūm suo, sed etiam alijs principibus gratissimus, ut ut eius præsentia
negocia intricate facilē explicarentur, & magna prudentia finirentur. Vn-
de Balthasar merito inter illustres Germaniæ uiros connumerari debet. Flo-
ruit autem potissimum anno Christi millesimo quingentesimo, & quadrage-
simō. Phil. Mel. in Ernest. Luneb.